UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manvale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitivm Spiritvale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

Pars 1. Considerationes administratoribus Sodalitatis, necessariæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46577

Visual Library

CAPVT III.
EXERCITIVM SECVNDAE REGVLAE, DE ADMINISTRAtione Sodalitatis.

PARS PRIMA.

Conſiderationes aliquot adminiſtratoribus Sodalitatis perutiles, ad cultum B. Virg. promouendum.

SICVT filiorum eſt, parentis ſui vtriuſque gloriam & vtilitatem quærere, indieſque, ſi poſſint, augere; ita Sodalium omnium eſt, beatiſſimæ Virginis in ſe, alijſque cultum promouere. Hoc ſi Sodalibus incumbit omnibus, certè vel maximè ijs incumbit, quibus commiſſa eſt Sodalitatis gubernatio.

Exiſtiment ergo ij primùm, delectos ſe eſſe à D. Virgine, vt ipſius Sodalitatem & familiam curent. *1 Conſiderat. Curam Sodalitatis commiſſam ſibi à B. Virgine.*

Deinde inducant animum, nihil poſſe ſe dignius, & ſaluti ſuæ conuenientius facere,

2 Nihil poſſe melius facere, quàm B. Virginis cultum promouere.

cere, quàm ſi eius promoueant cultum,& gloriam, quæ Dei ipſius mater eſt optima, iuxtà,& potentiſſima, ac planè cariſſima.

3 *Sodales omnes Deiparæ eſſe filios.*

Adhæc ſibi perſuadeant: Sodales omnes Deiparæ virginis eſſe proles,& pignora, quibus conſulere, eſt ipſi eorum parenti & Dominæ eximiè gratificari, & placere.

4 *Quicquid pro Sodalitate fecerint, B. virgo ſibi factũ arbitraturam.*

Præterea certò certius credant, nihil ſe facturos pro Sodalitatis bono, quòd non ſibi factum arbitretur B. Virgo. Itaque ſi diligentes ſe diligit, multò magis eos, qui alios ſecum ad amorem ipſius alliciunt, diligit.

5 *Curandũ illis vt partib⁹ ſuis, in Sodalitatis adminiſtratione faciãt ſatis.*

Poſtremò intelligent, ex his omnibus ſequi, dandam eſſe ſibi operam, vt nauiter partes ſuas ſuſtineant, vt in cœtibus Sodalitatis, quantum per occupationes licet, ſint aſſidui, raro abſentes, vt cæteris omnibus vitæ Chriſtianæ, inſignisque modeſtiæ exemplo præluceant; vt in frequentatione ſacramentorum crebri ſint; vt in Regularum obſeruatione cæteris diligentiores; vt Sodalitatis progreſſum quotidiè Deo, Parentique eius in precibus,& ſacrificijs commendet; vt denique cum egregia caritate,& diligentia commiſſum ſibi munus obeant, non dubij accepturos ſe à beata virgine dignam laboribus, induſtriaque ſua mercedem.

PARS